ces. Erubuit Cæſar, atque ipſe deſcendit in advocationem, veritus ne non modo ſuperbus, verum etiam ingratus videretur *a*. Advocatum habemus Chriſtum ipſum *b*, vulneratum propter nos ac ſuas Patris cicatrices non pro illo, quamvis illius imperio, ſed pro nobis toleratas oſtendentem.

a Manu epophth. l. 4 de Auguſto, num. 40 b 1. Joan. 2. 1 c verſ. 6

Iſrael.) Præter cauſſam antea *c* traditam, quare hic potius hoc nomen exprimatur, loquendo de redemtione per Chriſtum, & id nomen pro populo Judæorum ſumendo, & ex perſona Jacob dicitur, qui cognominatus eſt Iſrael: luctator prævalens adverſus Deum ipſum, vel etiã videns eum; alia reddi poteſt, quia Chriſtus miſſum ſe negavit, niſi *ad oves, quæ perierant, domus Iſrael d*: cujus populi videlicet *erat adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa e*, ideſt, ut diceretur peculiariter Filius Dei, ob cultum, & legem ab eo acceptam, & ſpiritualem filiationem conſequi facilius poſſet propter fidem, & plura gratiæ adminicula: ut haberet arcam, & celebris eſſet apud alios, tùm ea de cauſſa, tùm propter eximia beneficia, atque miracula: ut acciperet legem quantum ad moralia, judicialia, ceremonialia: ut varia promiſſa illi fierent pertinentia ad utrumque teſtamentum. Idcirco Chriſtus *miniſter fuiſſe* dicitur *circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum: Gentes autem aſcitæ ex miſericordia f*. Tertio quoniam *ex Judæis futura ſalus g*, *& ex iis Chriſtus h*: *& de Sion exitura lex, verbumque Domini de Jeruſalem i*. Quarto quoniam perfectus fructus redemtionis futurus erat in electis, qui ſunt *Iſrael Dei K*, *& Iſraëlitæ* non *ſecundùm carnem l*, ſed ſecundùm ſpiritum. Arnobius negat alium redimi, niſi Iſraelem, ideſt, niſi baptizatum. Intelligi debet jam promulgata lege evangelica, ſine baptiſmo neminem redimi; ſine reali, eum qui careat uſu rationis; adultum ſine reali etiam, ſi recipere poteſt: vel ſine voto, ut dicunt, & deſiderio illius ſi copia illius deſit. Nulli ſufficiens denegatur gratia redemtionis; perfectam tamen ſoli conſequuntur electi, ſive prædeſtinati. Quinto quod in tempore futuro dicitur, creditus Hieronymus refert ad extremum illud mundi tempus, cum poſt introductos, & converſos Gentiles, reliquum Iſrael Chriſtus remiſſa iniquitate ſalvabit *m*.

d Matt. 15. 24 e Rom. 9. 4 f cap. 15. 8. 9 g Joan. 4. 22 h Rom. 9. 5 i Eſa. 2. 3 K Galat. 6. 16 l Rom. 9. 6 1. Cor. 10. 18 m Rom. 9. 27 c. 11. 25. 26 Eſa. 10. 22

Ab omnibus iniquitatibus ejus,) Perinde eſt *ab omnibus iniquitatibus ejus* vel *ſuis*. Hoc ſecundo modo quum ſit idem pronomen Hebræum, vertitur pſalmo 14 *n*, *Libera Deus Iſrael ex omnibus tribulationibus ſuis*. Utrobique eſt לו *lo*, nec utuntur Hebræo reciprocis. *Ab omnibus iniquitatibus erui*, petiit alibi *o*, David; *omnes ſuas iniquitates deleri p*, *univerſa delicta dimitti q*: cecinit præterea *propitiari Deum omnibus iniquitatibus noſtris r*; Deus pollicitus eſt fore, *ut mundemur ab omnibus inquinamentis noſtris ſ*. Relege quæ dixi pſalmo 24. & 38. Primo & per ſe ab omnibus peccatis Deus redimit, deinde etiam à pœnis, quæ ipſis debentur, ſed ſuo tempore: quoniam in hac vita ſuperſunt ſaltem pœnalitates ortæ ex peccatis, & ſaluti utiles: ſæpe etiam remanet in juſtis reatus nonnullus, debitumve ſolvendæ alicujus pœnæ temporalis, quod ſi dum hic vivit non ſolverit, ſolvet in Purgatorio, aut ibi per fidelium ſuffragia liberabitur. Hic eſt omnis fructus adventus Chriſti, ut deleatur peccatum, & iniquitas, reſpectu cujus cetera non cenſetur mala; quæ etiam mala, illo per ſe malo ablato, tandem removebuntur. In ea re conſiſtit præſertim regni Chriſti poteſtas, ſecundùm præſentem hujus temporis ſtatum. Fruſtra adhuc infelices Judæi expectant redemtionem temporalem, non ſoliciti de ſpirituali; pro qua pater Joannis gratias egit *t*, præſentiens primum adventum Chriſti: & de qua jam præſente Chriſto loquebatur feſtive Anna Propheiiſſa expectantibus illam *u*. Paulus Burgenſis *x*, de hac re diſputat, oſtendens & per ſe nobiliorem eſſe redemtionem ſpiritualem, quam corporalem: & Prophetas de ſpirituali eſſe intelligendo, quando vaticinantur futuram redemtionem per Meſſiam.

n verſ. 21 o pſ. 38. 9 p Pſ. 50. 11 q Pſ. 24. 18 r pſ. 102. 3 ſ Ezech. 36. 25 t Luc. 1. 68 u cap. 2. 38 x in Scrut. ſcript. 1. p. 4. 5 c. 1. & ſeq. & d. 6

PSALMUS

CENTESIMUS TRIGESIMUS.

Canticum graduum David.

1. DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.

2 Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.

3. Speret Iſrael in Domino, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Titulus, & Argumentum.

Canticum graduum David.

Titulus. Argumentum.

QUemadmodum pſalmus 126. ex gradualibus octavus habebat in titulo nomen *Salomonis*, ſic iſte, & 132. *Davidis* nomine inſcribuntur. Ibi, ut & alibi monui, diverſa nomina propter alias cauſſas apponi, quã ad ſignificandum eum, qui pſalmos compoſuerit, quum jam ſemel initio conſtituerim omnium auctorem Davidem eſſe. Hoc nomen habet Hebræus textus, & Chaldæa translatio, licet Nebienſis in ea omiſerit, nec ſit in Græca; & deſit in multis Bibliis Latinis, etiam in Complutenſibus ac Regiis, & omittatur fere ab omnibus Enarratoribus, præterquam à Lyrano, Ayguano, Valentia, Rickelio. Argumentum videtur eſſe, ut David ſeipſũ proponat velut exẽplum ſperandi in Deũ profitendo ſe, licet peccator ſit, non tamen ſuperbia elatum. Euthymius, & ante illum Origenes, moneri putãt reverſos de captivitate Babylonica; partã Dei beneficio libertatem cuſtodire, nec ad ſuperbiam redire, & malis ex ea profectis ſubjaceãt, ita ut ſit opus alia captivitate. Aſſentior Valentiæ, non hic proprie ſpectaſſe Davidem ad numerationem populi, propter quam populus peſtilentia Percuſſus eſt *y*, tunc enim potius accuſavit ſeipſum, nec videtur vacaviſſe culpa ſuperbię. Tamen quod nullo puro homini cõvenire poſſit hic Pſalmus, ut idem cõtendit, ac nonnihil favet Arnobius, non concedo. Quamvis enim ſolus Chriſtus immunis plane ab omni peccato nulla ratione ſuperbus fuerit, ſed omnes homines, quatenus infecti originali peccato; vel inficiendi, niſi privilegium intercederet, quod peccatum ex primorum parentum ſuperbia provenit, qua ſimilitudinem Dei concupiverunt, & idcirco ablactati ſunt ipſi, & poſteri lacte beatitudinis; nihilominus poteſt etiam hic idem pſalmus intelligi de Davide, qui ſe coactus, modeſte tamen, purget adverſus calumnias eorum, qui ipſum, ut ſuperbum accuſabant, & ambitioſum, & inſidiantem vitæ Saulis. Unus fratrum ejus Eliab natu major dixit ei aliquãdo *z*; *Ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui*. Sæpe etiam Saul queſtus eſt de inſidiis illius *a*, Semei præterea objecit, quod regnum Saulis invaſiſſet *b*. Potuit & alia de cauſſa humilitatem ſuam exponere, ut alios exemplo ſuo provocaret ad ſpem omnem in Deo collocandam, quemadmodum ipſe faciebat, viribus ſuis non innitens, licet cunctos in Palæſtina opibus potentia, ſapientia antecelleret. Seipſum laudare per ſe quidem turpe, vetatque Sapiens *c*, ne quis ore ſe proprio, ac labiis laudet, ſed permittat aliis, nec *qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt d*, interdum tamen ſubeſſe cauſſæ poſſunt, cur id honeſte fiat, ut quodam opuſculo de hac ipſa re Plutarchus demonſtrat; & Exechias Rex *e*, ac Paulus *f*, & alii id fecerunt, ut docui cum Gregorio *g*, & aliis. Tanti Regis, Prophetæ, Sancti exemplum confert ſane plurimum, uſitataque vulgo ſententia eſt, ut ait hoc loco Arnob. quod juxta mores domini, familia conſtituitur: & ſicut inter dominos & ſervos, ſic inter Chriſtum, & Chriſtianos ſi haberet effe-

y 2. Reg. 24. 15 z 1. Reg. 17. 28 a cap. 22. 8 & alibi b 2 Reg. 17. 8 c Prov. 27. 2 d 2 Cor. 10. 18 e Eſa. 18 4. Reg. 20 f 2 Cor. 12. 1 & ſeqq. g 3. mor. c. 16

ctum, jure nos Chriſti famulos diceremus. Si aliquis eremita cellulæ ſuæ vacans, talia diceret, inquit Caſſiodorus, magna tamen patientiæ laude fugeret: hoc purpuratus, hoc Prophetarum dicebar eximius, ut ſtudioſius refugeret ſuperbiam, quanto amplius honorem claritate radiabat: quid à nobis exigitur, ſi ab illo talia pendebantur? Valet magis argumentum ex collatione cum Chriſto, qui ſummopere coluit humilitatem, & proprie, ſolus ſimpliciter humilis fuit, ut dixi, noſque ad eamdem conſectandam ſuo docuit exemplo *a*, Athanaſius *b*, connumerat hunc pſalmum illis qui ſunt ἐν ἐτυχίᾳ μόνῃ in colloquio ſolo.

a Matt. 11. 89 b ad Marcel.

Verſ. 1.) Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.

Neq; ambulavi in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me.

Senſus loci.

EſSt quidem ſuimet quædã laus minus periculoſa quãdo dicitur coram DEO, tamen poteſt etiam tunc ex ſuperbia proficiſci, ut accidit in Phariſæo apud Lucam *c*, qui gratias quoque agere videbatur DEO; David autem, & quivis vir vere juſtus, maxime autem CHRISTUS, tamquam ſibi bene conſcius, & certus, quod vera diceret, Dominum ipſum fidenter alloquitur. Deo igitur ipſomet teſte, affirmat ſe nihil ſuperbiæ admiſiſſe, nec in corde, nec in geſtu corporis, præſertim eo, qui declaratur in ſuperciliis, oculiſve, nec in verbis, nec in operibus, jactando de ſe multa, & magna, vel talia, quæ vires, & conditionem ſuam ſuperarent, aggrediendo; ſed in proprio gradu conſiſtendo, atque ſi quid magnum, aut mirabile agnoſceret in ſe, vel alii prædicarent, transferẽdo in Deum optimum; in benefaciendo, & maximum, quantum ad ea omnia, quæ magnifiunt, & ſupra quam fingi, ac æſtimari poſſunt. Sequenti pſalmo nominabit David manſuetudinem ſuam. Irriſus à Michol, quod ſubſiliret, atque ſaltaret coram Domino ante Arcam *d*, reſpondit, *Ante Dominum, qui elegit me*, &c. *vilior e*, *fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis*. Appellabat ſe etiam *canem mortuum, pulicemque* f, & *vermem* g, ſeſeque modeſtiſſime ſemper gerebat, præſertim cum Saule, & aliis. Expendit id Gregor. *h*, nimirum quod ſemper David de ſe humilia ſentiens *canem ſe mortuũ*, & *publicem unum*, ut retuli, nominabat jam unctus in Regẽ, nec ignorans per Dei gratiam incomparabiliter eſſe ſe Saule meliorem. Ambr. *i*, ait, quod hoc loco David quaſi palmodiam quandam ad repropitiandũ Dominũ canendam putavit, qui alioqui vir juſtus, & beatus, alias præſumtione virtutis nonnulla loquutus fuerat. Quamquam quæ præſumtionis verba Ambroſ. putat alibi k, oſtendi talia non videri. Arnob. attribuit hunc ſermonem Chriſto, qui quum Dominus cœli, & terræ eſſet *non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, tamen ſemetipſũ exinanivit formam ſervi accipiens l* Mox ſubdit documentum Age ſervus juxta mores Domini tui, quum ſis natura humilis, quid exaltaris? Judex ille refertur humilis, nos ſuperbi; ille ingloriosus, nos è contrario glorioſi; ille in magnis non ambulat, nos in magnis perſonis ambimus, & in eo, quod nos adorãt, aut diligunt nobiles, gloriamur, ſi tamen diligunt, & non ridiculo abutuntur, &c. nos exhonoramus pauperem, cujus in ſe perſonam Chriſtus accepit; & non ambulamus in parvis, ſed in magnis, & mirabilibus ſuper nos, & cantamus humiliter ſentire nos, &c. Valentia explicat etiam perinde, ac ſi Chriſtus neget exaltatum cor ſuum, & elatos oculos in Adam ſuperbo, *in quo omnes peccaverunt m*: quia non fuit ei imputatum illud peccatum, nec fuit imitator ejus, nec ambulavit in magnis, ideſt, non elegit honores, & divitias neque in mirabilibus ſuper ſe; quoniam omnia Patri attribuebat, ut quum dicebat *n*, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Patris*: o, & *Non veni facere voluntatẽ meam, ſed*, &c. Inductio fieri poteſt per omnem Chriſti vitam de ſingulis ab eo humiliter geſtis, quæ Arias noſter partim expendit in opere de illius imitatione. Ceterum Antonin *p*, quatuor ſuperbie ſpecies à Gregorio *q*, enumeratas, ſi quis bona à ſemetipſo habere ſe putet, aut data deſuper pro meritis; aut jactet habere, quæ non habet; aut deſpectis ceteris, ſingulariter videri appetat; docet præſenti ſententia inſinuari, *Domine, nõ eſt exaltatum cor meum*, affectando excellentiam inordinate ſupra propriam menſuram, & ſic bona mihi collata, mihi attribuendo, non à Deo recognoſcendo: *neque elati ſunt oculi mei* æſtimationes, & affectiones, bona, quæ à Deo agnoſco, meritis meis aſcribendo principaliter: *neque ambulavi in magnis*, magnificando in me, vel apud alios bona mea ſpiritualia, vel temporalia, ſive illa poſſideam, ſive non, tot, tamve magna, & multa: *neque in mirabilibus ſuper me*, mirabilia, & quaſi ſingularia ſuper me exiſtentia præ ceteris intuendo, & alios ex hoc deſpiciendo. Indicia, & ſigna ſuperbię Hugo recenſet ſive elati cordis, in colli erectione *r*; oculorum extollentia *ſ*; greſſus compoſitione *; habitu, geſtuque corporis *t*; ſermone, & protervia in non audiendo. Verum quæ ad locum præſentem faciunt, ſeorſum diſpiciemus.

c cap. 18. 11 d Reg. 6. 14 15. 16. 20 e verſ. 21. 22 f 1. Reg. 24. 15 g pſ. 21. 7. h 34 moral. c. 16. vel 15 i l. 3. in Luc. K in pſ. 7. 6 in pſ. 29. 6 l Phil. 2. 7 Documentum. m Rom. 5. 12 n Joan. 7. 16 o cap. 6. 38 p 2. p. t. 3. c. 2 Quatuor ſuperbiæ ſpecies q 4 moral.

Indicia, & ſigna ſuperbiæ. r Job. 15. 26 Eſa. 36. 16 ſ Eccl. 23. 5 * Prov. 6. 17 Eſa. 3. 16 t Eccle. 19 26. 27

Domine, non eſt exaltatum cor meum.) Unus Ambroſ. *, quod ſciam, vertit, *non exaltavi*. Hebraicè לא נבה *lo gavah*, *non ſuperbivit*. Eſt namq; activum verbum intranſitivum, quod recte per paſſivum ὑψώθη, & per *exaltatum eſt*, declaratur. Chryſoſtom. propria quadam homilia *u*, tractans illa verba ex Paralipomenis *x*, *Elevatum eſt cor Oziæ*, & explicans, quam ſit periculoſum vulnus elatio, obſervat beatitudinem eſſe, cogitationem improbam ſuperbiæ prorſus non admittere: Prophetam vero hic non dixiſſe; Elatum eſt quidem cor meum, ſed illud cohibui; verum, non eſt omnino elatum, hoc eſt, jugiter ſervavi animam meam inacceſſam malitię. Idem dici poteſt de Rege Aſſyriorum Sennacherib, de quo Deus ad Rabſacem renunciari præcepit, *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & levaſti altitudinem oculorum, ad ſanctum Iſrael y*? item de Rege Tyri ſuperbiſſimo, quem reprehendi Deus juſſit ab Ezechiele *z* verbis iſtis, *Eo quod elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra ſedi, in corde maris*. Hoc ſibi vult *aſcendens homo ad cor altum a*; & Alexandri Magni *exaltatum & elevatum b*; & Nabuchodonoſoris *elevatum c*; & Ptolemæi Philopatris *d*. De Alexandri ſuperbia quadam immenſa diſſerit Joſephus Stephanus *e*, maxime in affectanda opinione divinitatis. Sulpitius *f*, egregium narrat adverſum inflationem miſeræ vanitatis, ut ipſe eã vocat exemplum, propoſito ſane per commodum, licet à me alibi, ſi bene memini, poſitum, de quodam, qui quum fugandorum dæmonum incredibili præditus eſſet poteſtate, & omnium cõcurſu celebraretur, plauſuq; & eo nomine, & ob inſignem ſanctitatem; ut diſcuteret ob repentem ab animo vanitatem, quæ ſalva tamen manebat virtute, totis Deum precibus oravit, & impetravit; ut pes miſſa in menſibus quinq; diaboli poteſtate, ſimilis his fieret, quos ipſe curaverat. Sed mihi iſta replicanti; ſubdit idem ſanctus Scriptor, noſtra infœlicitas, noſtra occurrit infirmitas. Quis enim noſtrum eſt, quem ſi unus homunculus humilis ſalutaverit, aut fatuis, atq; adulantibus verbis fœmina una laudaverit, non continuo elatus ſit ſuperbia, non ſtatim inflatus ſit vanitate? ut etiamſi non habeat conſcientiam ſanctitatis, tamen quia vel ſtultorum adulatione, aut fortaſſis errore ſanctus eſſe dicatur, ſanctiſſimum ſe putabit, &c. Recte autem Hugo annotat, & creditus innuit Hieronym. minus hic dici, & plus ſignificari, ut *non eſſe exaltatũ cor*, ſit eſſe humiliatum, quod eſt verum ſacrificium Deo *g*. Cum Propheta, inquit Caſſiod. negat vitioſa, confitetur omnino laudanda. Eſt quidem humilitas baſis, & fundamentum ſpiritualis profectus; tamen humilitas talis, ac tanta, qualis, & quanta in hoc pſalmo deſcribitur, merito ponitur gradum duodecimus, ut Rickelius monet, ut, quod habet Bruno, qui ad hos gradus ſuperiores, aſcenderit, non inde ſuperbiat; ſed *quanto major eſt, humiliet ſe in omnibus h*. Hiero. explanans etymologias patris Sophoniæ, qui vocabatur Chuſi; & avi, qui Godolias; & proavi, qui Amarias, & attavi, qui Ezechias; ut Sophonias quidem *ſpeculum*, vel *arcanum Domini* ſignificet, & quod ille in ſpecula, & in ſublimibus eſſet conſtitutus, noſſetque myſteria Domini, Chuſi autem denotet *humilitatem vel Æthiopem meum*; Godolias *magnitudinẽ Domini*, Amirias *ſermonem Domini*, Ezechias *fortitudinẽ Domini*; docet, quod de fortitudine Domini natus eſt ſermo Domini; & de ſermone Domini nata eſt magnitudo Domini; & de magnitudine Domini nata eſt humilitas: ut quum pervenerit aliquis ad perfectum, dicat, *Domine, non eſt exaltatum cor meum*, &c. &, *Non ſum dignus vocari Apoſtolus i*. Gregor. *K*, quam ſit alios regenti humilitas, prępertim interior, neceſſaria, egregie probat iſto Davidis exemplo, & ſententia, & illum humilitatis hoſtiam ab intimo cordis oblatam crebro replicare obſervat;

* l. 7. in Luc. u tom. 1 x lib. 2. 26 y Eſa. 37. 23 z cap. 28. 21 a Pſ. 63. 7. b 1. Macab. 1. 4 c Judith. 7 d Dan. 14 12 e in 1. Mach 1. 4. & ſeq. Adverſus inflationẽ vanitatis exemplum f dial. 1. c. 14 g pſ. 50. 19 h Eccl. 3. 20 i 1 Cor 15. 9 k 26. moral. c. 19. vel 23

vat; & iterum, atque iterum conſi‑endo, offerre non ceſſare; eamque; multipliciter loquendo, Judicis ſui oculis oſtentare. Tum quærit, & reſpondet, Quid eſt hoc, & quomodo iſtud ſacrificium Deo placere cognoverat, quod in conſpectu ejus tanta iteratione vocis immolabat? niſi quod vicina eſſe [ſuperbia potentibus ſolet, & pene ſęper rebus affluentibus elatio aſſociatur; quia & ſæpe humoris abundantia) nota ſubtilem rationem) duritiā dat timoris: mirum vero valde eſt; quum in cordibus ſublimiū regnat ſubtilitas morum. Deinde ſubdit: Unde penſandū eſt, quia potentes quique, quum humiliter ſapiunt, culmen extraneæ & quaſi longe poſitæ virtutis attingunt, & recte hac virtute Dominum quantocyus placant; quia ei illud ſacrificium humiliter offerunt, quod potentes invenire vix poſſunt. Tandem ſubtiliſſimam nominat artem vivendi, culmen tenere, gloriam premere, eſſe in potentia ſe potentem eſſe neſcire, ad largienda bona potentem ſe cognoſcere, ad rependenda noxia, omne quod potenter valet, ignorare. Idcirco præcipiebat Paulus Timotheo a, divitius præcipere *non ſublime ſapere*, μὴ ὑψηλοφρονεῖν Syriacè non eſſe, נתרימון בהעינהון *netbrimū herebbianaithun, efferentes ſe in cogitationibus ſuis*. Idem autem Gregorius b, bene advertit voluiſſe Apoſtolum, ut præciperetur divitibus, non ut rogarentur; quia & ſi impendenda eſt pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi, tantoq; rectius talibus jubetur, quanro & in rebus tranſitoriis altitudine cogitationis ſuę intumeſcunt. Vermem vocat divitiarum Auguſt. c, & morbum ſuperbiam d. Ariſtoteles e, vero inter mores divitum refert, ut ſint ὑπερήφανοι, σαλάκωνες, σόλοικοι, *contumaces, arrogantes, elati*, quique ſeſe oſtentent, jactentque.

Elatio rebus affluẽtibus aſſociatur ſemper.
a 1 epiſt. 6. 17
b 3. p. Paſtor. cap. 3.
c de verb. Domini,
d ſerm. 112. de temp.
e 2. Rhet. ca. 16

Neque elati ſunt oculi mei.) Vetus Pſalterium, Auguſt. & alii, *in altum elati*, ἐπετεωρίσθησαν. Alius apud Chryſoſtom. eodem verbo, quo præcedens membrum, ὑψώθησαν. Non poteſt latere faſtus animi, & exaltatio cordis. Prodit ſe foras, ac patefit per geſtus corporis, quātumvis diſſimulet ſuperbus, & erumpit potiſſimum per oculos, qui ſunt animæ ſenſum indices. Hanc unam partem corporis Cicero f, vocat, quæ, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere, & oculos ait eſſe, quorum tùm intenſione, tùm remiſſione, tùm conjectu, tùm hilaritate, motus animorū ſignificantur, hos item naturam dediſſe nobis, ut equo, aut leoni jubas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos: præterea g, ut imago eſt animi vultus, ſic indices eſſe oculos: denique duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere naturam voluiſſe h. Idem vero declamans in Vaticinium nominat tamquam ſerpentem è latibulis prodeuntem, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus. Primos ad inobedientiam vetiti pomi oculos ex ſuperbia proficiſcentem i, quid mirum ſuperbiæ in unoquoq. noſtrum primum veluti ſignum edere? Humilem Scriptura k, *parvulum* appellat *in oculis ſuis*, & *humilē l*, ſuperbum autem deſcribit, quod *elevet eum cor ſuū & quaſi magna cogitans, attonitos habeat oculos m*: vel innuant oculi ejus, nictent, conniveant, irridendo alios, & ſubſannando, ac defigendo oculos in ipſo cum cōtemtu, qui nominatur in centeſimo pſalmo n, *vir ſuperbo oculo præditus*: & in 17. o, pluraliter dicuntur *oculi ſuperborum*: & in Proverbiis p, *oculi ſublimes*, רמות *ramoth*, ὑβριστοῦ, *contumelioſi*, & ab Eſaia q, eodem pacto, vel גבהות *gaubuth*, *ſuperbiæ*: præterea quod habeat exaltationem oculorum, (qua deſpicit alios præ ſe, velut ex alto) & *dilatationem cordis r*, (quam vocant LXX. θρασυκάρδιον, *audacis cordis, ac multa de ſe præſumentis*:) adhæc, quod *excelſos gerat oculos, & palpebras in alta ſurrectas ſ*, & *levet altitudinē oculorum ſuorum t*. Sed & Sapiens u, deprecatur Deum, ne *extollentiam oculorum ſibi det*, μετεωρισμὸν ἰδίας x, minatur, *oculos ſublimes hominis humiliandos*, ſive *deprimendos, & incurvandum altitudinē virorum, incurvandum hominem & humiliandum virum*: item Deus apud eumdem y, quod *viſitabit ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum ejus*. Pollux z, demum ſcribit, quod τὰς ὀφρῦς αἴρει ὁ ὑπερήφανος καὶ ἀνατείνει ὑπὲρ τὰ νέφη *ſupercilia tollit ſuperbus, & extendit ſuper nubes*. Quę dicendi formula ſatis trita Latinæ, & aliis linguis, ut ſupercilium tollere ſit ſuperbi; ponere, humilis, vel ſuperbiam abjicientis. Plinius a, autem ſcribit, quod ſupercilia maxime indicant faſtus, quodque illa alicubi conceptaculum, ſed hic ſedem habet; in corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet, nihil altius ſimul, abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet. Et quia ſuperbiæ adjuncta plerumque, ita, tolere ſupercilia, τὰς ὀφρῦς αἴρειν Diphillus de irato dixit, ſed vivi beneficio perſuadet: γελᾶν, *ridere*. Petrus Victoribus b, de mœrente loqui arbitratur, quod non credo: ridere enim etiam convenit ei, qui ponit iram, non tantum qui mœſtitiam: nec minus illam virum, quam iſtam mitigat.

f 2 de Orat.
Oculi animæ ſenſuum indices.
g in Oratore
h 3. de natura deorum.
i Gen. 3. 6
k 1. Reg. 15. 17
l 2 Reg. 6. 27
m Job. 15. 12
n verſ. 5
o verſ. 25
p cap. 6. 17.
q cap. 2. 11
r Prov. cap. 21. 4.
ſ cap. 30. 13
t Eſa. 37. 23
u Eccleſiaſtici 23. 5
x cap. 2. 11. cap. 5. 15.
y cap. 10. 12
z lib. 2. cap. 24 vel 92
a lib. 13. cap 37
b lib. 8. cap. variar. lect.

Neque ambulavi in magnis.) Proprie, *in magnitudinibus*, quod Symmachus vertit, ἐν μεγαλειότησιν, Aquila, & Theodotio, ἐν μεγαλοσύναις, *in magnificentiis* בגדלות *bigdoloth*. Chaldaicè, ברכנבתא *beraſeeſatha*, & in textu Nebienſis, ברברבן *berafreſan, in magnificentiis*. Rebus magnis, ac magnificis David ornatus à Deo eſt, quas nemo neſcit; ſed in iis non ambulavit, continens ſe in eo gradu in quo poſitus fuerat, cōtentus Deo, & populo ſibi cōmiſſo ſervire; non tranſiliens ſibi conſtitutos fines; non circuiens per ambitionem, non ſeſe ingerens ultra quam par eſt, & ſupra ſtatum, & vocationem ſuam: non ſeſe præcipitans in honores, lucra, ſcientiæ inanem famā, & ſimilia; non plura tentans, molienſve quam propriæ valerent vires ferre. R. c, Moyſes hanc ſententiam applicat ad eos, qui ſcire plura quam poſſint, volunt, aut ſe etiam ſcire profitentur, ſicque plus mellis, ut dicit Salomon d, comedunt, quam debeant, & evomunt, atque altiora ſe quærunt, & fortiora ſe ſcrutantur, ut ſcribit Auctor Eccleſiaſtici e. Nebienſis autem hoc loco tales affirmat eſſe magos, chiromanticos, genethliacos, alchimicos, vel potius chalchimicos: item illos, qui nova ementiuntur miracula, oſtentantes ſtigmata manuum, & pedum ac lateris, quæ non à Deo, aut à beato Angelo acceperunt, ſed ipſimet ſibi: ipſis intulerunt, quo perſuadeant ſe frui Dei conſortio, ac Sanctorum, quum tamen membra ſint diaboli. Jacobus quoque Faber in commentario loci præſentis eadem fuſius perſequitur de illis etiam, qui ſe interna cujuſvis animi ſenſu percipere poſſe dictitēt, docere poſſe linguarum variarū perfectam ſatis peritiam horæ unius brevi ſpatio, conferre omnem ſanitatem, quaslibet item opes, & id genus alia ſupra mortalium vires. Hos omnes ablactatos cognominandos decernit à matre gratia, à qua exciderint, & ab amicitia Dei. Extendi ſententia debet ad omnes, qui viribus, gradui, ſtatui, conditioni, ſcientiæ imparia, vel ſuperiora meditantur, aut aggrediuntur, cujus rei longa, & utilis inductio fieri poteſt. Tum vero ſpectari id etiam in virtutibus ipſis poteſt, cum quis in iis geſtit excellere non per ſe, quia honeſtæ, Deoq; gratæ ſed quoniā magnæ, & ſpectabiles, & aſpernans mediocres virtutes per ſpeciem perfectionis majores quaſdam cum faſtu jactat, & ſectari videri vult. Talem Hierony. f, alloquitur, (Mutatus es in Stoicum, de Zenonis nobis tonas ſupercilio. Nonne ſatis nobis eſt patienter perdere quod habemus, niſi violento, & raptori gratias agamus? Docet Evangeliū g, ei qui tunicā nobis tollis palliū eſſe concedendum. Non præcipit ut agamus gratias, & læti noſtra perdamus. Hæc dico, non quod aliquid ſceleris in iſta ſententia, ſit, ſed quod ubiq; hyperbolicās mediocria tranſeas, & magna ſecteris.) Sic ille. Egent eadem monitione, qui repente volunt fieri ſummi, & volando, non aſcendēdo ſummitatē ſcalæ quū præcipitii periculo conſcendere. Non eſt adeo litteralis Arnobii, & Hugonis expoſitio. Chryſoſtom. etiam, & crediti, Baſilii, Euthymii, Nicephoriq; ut hoc ſit dic ere τοῖς ἐνδόξοις καὶ ἀξιωματικοῖς ἢ τοῖς ἐπὶ πλούτῳ θαυμαζομένοις ἐπιθυμεῖν συναναστρέφεσθαι τοῖς ὑπὲρ ἐμὲ οὖσιν ἢ νομιζομένοις, cum gloria & dignitate præſtantibus, aut ob opes admirandis voluiſſe converſari, quique ſuperiores eſſent, vel eſſe exiſtimarentur; ſive, ut loquitur Arnobius, in magnis perſonis ambire, & in eo quod nos adorant, aut diligunt nobiles gloriari; vel ut Hugo, ambulare cum magnis & magnatibus, vel in pompoſa ſocietate: ingerere ſeſe in magna conſilia, magnoſve conventus, arbitratum ſe indignum, ut ait Euthymius, illorum converſatione, niſi fortaſſis invitum coegiſſent, vel cum hominibus ſuperbia laborantibus converſari noluiſſe, qui magni, ac mirabiles videntur. Ille melior ejuſdem qui & Hugonis, & communior ſenſus, eſſe ſuperbie de magnis factis dictis, virtutibus. Job hoc ab ſe factum negaviſſe, dicendo, quod *non ambulaverit in vanitate, non ſit lætatus in divitiis multis h*. Videtur ambulans in magnis, & in mirabilibus, *ambulare in circuitu i*, ſeu in circulum, & in orbem, in quo nihil eſt depreſſum, humile, æquabile: ſed eminens, altum, flexuoſum, nulluſque terminus: & nihil aliud facere ſic ambulans videtur, niſi *pedes in rete mittere*,

c lib. 1. ductor dubio. c. 31.
d Prov. 24. 26. 27.
e cap.23. 21
f 1 contra Pelagium.
g Matt. 5 46
h Job. 31. 25.
i Pſ. 11. 9.

mittere, & in maculis ejus ambulare a, ut optime demonſtrat Gregorius b.

Neque in mirabilibus ſuper me.) Idem eſt *ſuper me*, quod *præ me* & *ſupra vires meas* ממני *mimmenni*, Quod exponunt Symmachus, & Theodotio οὐδὲ ἐν ὑπεραιρομένοις ὑπὲρ με *neq; tranſcendentibus ſuper me*. Referendæ ſunt particulæ duæ, *ſuper me*, ad *magna*, & ad *mirabilia*, ut ſcilicet nec in magnis ſuper ſe, nec in mirabilibus ſuper ſe, ideſt, ſupra captum, & vires ambulaſſe ſe dicat David. Ambulandum Hilarius monet in modicis, nec immorādum in non mirabilibus, hoc eſt, in rebus non divinis, ſed eſſe magni periculi rem, ſi id fiat, quia magna eloquia Dei ſunt, ipſe mirabilis in excelſis eſt. Magna & mirabilia ſuper quę ſe negat Propheta ambulaviſſe, intellgit quę talia cenſentur opinione hominum, quæ homini, inquit, magna, & mirabilia creduntur, quia non extulit ſe, aut inſolens evaſit, quod unctus in regem ſit, quod aſpiratus in Prophetam, quod alia ſimilia ſit conſecutus à Deo, quę magnifiunt, & in admiratione ſunt apud homines. Simplici ſenſu *non ambulare in mirabilibus ſuper ſe*, eſt non velle videri eximia quædā præ ceteris loqui, vel facere, quæ ſint extra communem uſum, & morem receptū apud viros bonos, & prudentes, qui vitæ idem inſtitutum teneant: non velle de ſe admirationem concitare, non ſuperbiæ tanta efferri ſublimitate, arrogantia, altitudine cordis, jactantia, quemadmodū de Moab Deus conquerebatur, ut *non ſit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poſſit* (ſed ſupra quam poſſit) *conetur facere c*. Jeremias d, Baruch ſcribam ſuum divinis verbis ita perſtrinxit, quū videretur de Deo ipſo conqueri. *Ecce quos ædificavi, ego deſtruo, & quos plantavi, ego evello, & univerſam terram hanc, & tu quæris tibi grandia? noli quærere*. Quærebat munus propheticum, ſi credimus eo loco Paraphraſtæ Chaldæo, R. Salomoni apud Lyranum, & R, Davidi, & Vatablo; & querebatur dolebatq; quod quum tamdiu miniſtraſſet Jeremię nondū accepiſſet Spiritum prophetię, ſicut datus olim fuerat Joſuæ miniſtro Moyſis, & Eliſæo miniſtro Eliæ. Quamvis alii malint intelligere de requie, & vita ſine dolore & de ſuperflua conſolatione, & pace inutili in communi calde populi: quidam de ſalute vitaque totius populi, quem Deus caſtigare decreverat, & id recitare Baruchum ex libro volebat. Certe nolle Deo parere, aliud velle quam velit, eſt *ambulare in magnis & in mirabilibus ſuper ſe*, ac veluti *ariolandi peccatū* committere e: denique eſt intolerandæ ſuperbiæ. Bene David Propheta, inquit Gregorius f, intra acceptas ex divina largitate menſuras, pedem cordis preſſerat, quum dicebat, *neque ambulavi in magnis neq; in mirabilibus ſuper me*: ſuper ſe quippe in mirabilibus ambularet, ſi apparere magnus ultra quā poterat, quæreret: ſuper ſe namq; in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quę non ſufficit, videri idoneus conatur. Addit Pauli exemplum, ſcribentis de ſeipſo g, *non enim audeo aliquid loqui eorū, quæ per me nō effecit Chriſtus*. Eodem facit quod idem h, adhuc docet, *ſanctos viros* aliena opera etiam parva mirari, ſua vero etiam magna deſpicere: at contra arrogantes aliena etiam magna deſpicere, ſua, vel quæ parva ſunt, admirari, & plerumq; de ſuis malis bona æſtimare, de alienis autem bonis mala ſentire non ceſſare. Denique admonet i, hoc proprium eſſe ſpecimen electorum ſolere, quod de ſe ſemper ſentiunt infra quod ſunt: parvulos ad ſapientiam vocari k: *revelari myſteria, parvuli l*: hos *cuſtodiri à Domino m*: *ſuperiores invicem hos arbitrari n*: ipſoſmet doctores *fieri parvulos in medio aliorum o*: qui necdum ſemetipſum deſpiciat humilem Dei ſapientiam non apprehendere. Verum de hoc argumento actum ſæpius. Dionyſius RicKelius advertit ab uti nonnullos integra iſtius verſus ſententia, & ſimilibus, ignavos, & deriſores ſtudioſorum, quaſi non debeamus myſteria fidei perſcrutari, & conari quantum poſſibile eſt, intelligere alta de fide, quum tamen, inquit Apoſtolus p, dicat, *creſcite in ſcientia Dei*: & Chriſtus q; *ſcrutamini Scripturas*: & doctores difficillima loca Scripturæ conari ſunt, ac ſupernaturalia utcumque cognoſcere. Scimus & alios detorquere ſententiam eamdem, ut ſuam in virtutum progreſſione deſidiam, & remiſſionem cum eorum accuſatione, qui alacri frequentique ſtudio in eas incumbant, honeſto quaſi velamine tegant, ac tueantur, ſeſeq; dictitent à rerum magnarum, & mirabilium opinione abhorrere, mediocri ſe vulgari, ac veluti pedeſtri ſanctitate contentos quod tutius videatur iter, atque remotius à ſuperbiæ periculo, lapſum faciliorem, & graviorem ex alto eſſe. Atqui ipſa ſecum virtus, quo auctior, majores affert illi, qui ea ſit præditus, vires, magiſque tutum reddit ab omni tentatione, promtiorem ad ejuſdem exercitium, & operam. Quod ratione ac experimento adeo clarum, compertumque eſt, ut in eo probando tempus terere inutile videatur.

a Job. 18. 8
b 14. moral. cap. 4. vel 6
c Eſa. 16. 6
Jer. 48. 29. 30
d cap. 45. 4
e 1. Reg. 15. 23
f 28 moral. 6. vel 11
g Rom. 15. 18.
h 25. mor. c 29. vel 33
i l. 34. c. 16 vel 17
k Prov. 9 4. 16
l Matt. 11 25
m pſ. 114. 6
n Philip. 2. 3
o 1. Theſſ 2 7
p Coloſſ. 1 10.
q Joan. 5 39

Verſ. 2.) Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam.
Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.

Senſus loci.

QUod antea Deo ipſi cordium ſcrutatori dixit, ab omni ſe ſuperbia ſemper alienum fuiſſe, nunc majore confirmat aſſeveratione, adhibendo execratorium juramentum, ut omnes, qui legerint tanto magis id credant. Nec modo ait ſe ſuperbiæ vitium vitaviſſe, verum etiam humilitatis virtuti ſtuduiſſe Ergo imprecatur ſibi niſi ita ſit, ut priore ſententia ſignificari voluit, quod humiliter de ſeipſo ſenſerit; quod compoſuerit ſe ad æqualitatem cum ceteris; quod ſupra neminem ſe extulerit; ut eum ita Deus tractet, ac ab ſeipſo abjiciat privatum dulcedine conſolationis, & favoris divini, quemadmodum infans puerve recens, ac præſertim ante tempus ablactatus, hæret, in ſinu, vel ſuper genua matris mœſtus, & plangens, quia dulcedine lactis, qua nullam majorem expertus eſt, aut experiri ſe poſſe ſperat, privatur. Vel hoc ſibi reddi pro elatione precatur, ut puero ſimilis ablactato, qui præ imbecillitate animi, corporiſq; ac omnis opis egens, cogitur conſectari matrem, & ab ea victum, & vitam veluti emendicare, dejiciatur etiam ipſe, & alieno vivat auxilio, arbitrioque. Vel retributionem, & viciſſitudinem pro defectu humilitatis nullam definit, permittens Deo, quia ſatis ipſe per ſe nequeat ęſtimare quantum res adeo mala mereatur, ſed ſolus Deus Exaggerat vero gravitatem ſuperbiæ, quod audeat quis *exaltare cor, elevare obulos ambulare in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe*, non humiliter ſentire de ſeipſo, *exaltare animā ſuā*, quum nihil aliud ſit quivis homo comparatus cum Deo, quam *ablactatus ſuper matre ſua*, puſillo corpore, nullis corporis viribus, nulla prudentia, & experientia, lacte ipſo adhuc egens, aut præmanſo cibo, alienis ad gradiendum manibus. Similis alia expoſitio, ut ſibi quidquid libuerit Deo, imprecetur, ſi non fuerit humilitatem amplexus, in eaque ſic ſe geſſerit, perinde ac ſi eſſet puer ablactatus.

Duo poſtremi dicendi modi traduntur ab Euthymio, faventq; Græci alii, ac præter Enarratores, Antiochus Monachus r Nec incommode poſſet adhuc declarari, ut quivis imprecetur ſibi, ſi, humilitate abjecta, quæ videtur convenire adhuc lactenti, extulerit ſe arroganter, ut ſępe jam ab uberibus, lacteq; amoti pueri laſcivi ſolent, tamquam minus egentes ope materna. Tandem deprecatio erit, ſi ſic interpretetis, ut Deus corripiat inſoleſcentem, eo ſuperbientem ac modo, quo mater amaræ rei ſapore ablactat, & ab uberibus rejicit puerum, habitura nihilominus deinceps ejuſdem curam. Pro hoc ipſo beneficio licet quæ hìc dicuntur, ut gratiarum actionem ſumere. Gravitatem iſtius imprecationis, mali damniq; magnitudinem; acerbitatem ſupplicii, juxta primum modum, qui Deum ipſum reſpicit, æſtimabat David, ſi quis alius, maxime. Nam in aliis pſal. cecinit *magnā eſſe multitudinem dulcedinis quā Dominus abſcondit timentibus, & perfecit eis qui ſperant in ſe*, etiam *in conſpectu hominū ſ*: & quod *Deo dixit cor ſuum, exquiſivit eū facies ſua, vultum ipſius requiſivit t*: quod *in velamento alarū Dei exultavit, & adhæſit anima ejus poſt illum u*: quod *in eo delectari* volebat x: præterea precatus eſt, *ut lætificaret animā ſervi ſui, quoniam ad ipſum animam ſuam levaverat, quoniam ſuavis erat, & mitis y*: deinde profeſſus eſt, quod *renuit conſolari anima ſua* (in aliis rebus) *quū autem Dei memor fuit delectatus eſt z*: item quod *nihil nec in cęlo, nec ſuper terram præter illum vellet*, ſed *ipſe eſſet Deus cordis ſui, & pars ſua in æternū*, & quod *ſibi adhærere illi bonum eſſet, & ponere in eo ſpem ſuā a*: poſtremo alios invitavit *adguſtandum, & videndum quoniam ſuavis eſt Dominus b*. Similis imprecatio fuit in pſal. 7. c. *Domine Deus meus, ſi feci iſtud*, &c. & apud Job d prolixior. Verum præter allatas hujus loci ſecundùm formulam imprecationis, aut precationis, aut prænunciationis, aut gratiarum actionis octo fere ſententias, nona Hilarii eſt, ejuſque qui nomen

gerit

r homil. 45
ſ pſ. 30. 20
t pſ. 26. 8
u pſ. 62. 8. 9
x pſ. 103. 34
y pſ. 85. 5
z pſ. 76. 3. 4
a pſ. 72. 25 28
b pſ. 33 9.
c verſ. 4. 5 6
d cap 31. 8. & ſeq.

gerit Hieronymi, quam innuit etiam Arnobius, ut ſit oratio deprecatoria, ſed hypothetica, hoc modo, Domine, quia non exaltavi cor meũ, quia non in magnis, & mirabilibus mei ambulavi, quia non humilia ſenſi, utpote ſenſum collocans non in terra, ſed in cœlo, ſed exaltavi hac ratione animam meam, peto, uti tamquam ablactato ſuper matre ſua, retribuatur animæ meæ, ſcilicet, ut exemplo Abrahæ, qui ablactato Iſaac, celebravit convivium *a*, perfecti, & cœleſtis, & viventis panis retributione ſim dignus; quia cibum jam lactis exceſſi. Conſentit Ambroſ. *b*, docens hic ſignificari, fuiſſe Davidem parvulum non ætate, ſed ſenſu *c*, & humilitate ſui, & quadam declinatione jactantiæ. Citans vero illa verba, *Sed exaltavi animam meam*. Vides, ait, quam excelſus fuerit hic parvulus, quanto virtutum ſublimis vertice? Scribit *d* præterea, quod *exaltabat* David *animam ſuam* per ſublimem Dei gratiam, & non humiliter ſentiendo de Chriſto, quem humiliant, & dejiciunt Ariani: *exaltabat animam ſuam*, hoc eſt, ſenſus, vigorem, fidei gratiam, virtutem humilitatis pio repræſentabat affectu. Cui placuerit hæc poſtrema expoſitio, cujus & Auguſtinus meminit, docens, ſic debere nos humiliter de nobis ſentire, & hoc quaſi lacte nutriri, ut non in eo remaneamus, ſed per id creſcamus, cor elevando ad doctrinam verbi, & tranſeundo ultra ea, quę ſentimus de Corpore Chriſti, ac humanitate; poterit ad cibus Euchariſticum ablactato dandum, tamquã ſolidiorem cibum, & requirentem præ ceteris diſpoſitionem humilitatis in ſumente, qua purgetur animus, & conſtantior ad tam alta credendum myſteria reddatur. Certe olim baptizati lac, & mel prægustabant *e*. Auctor operis imperfecti *f* juxta eamdem rationem exponendi, ſumit lac pro miraculis, quæ delectant admiratione, molliterq; ad finem invitant: ablactatos pro iis, qui pane veſcuntur perfectioris doctrinæ, quæ eſt de juſtitia; debetq; qui accipit eam, diſcutere, & meditari, ac quaſi quibuſdam dentibus ſpiritualibus molere. Non cohæret admodum hæc ultima expoſitio, & nonnullæ ex aliis, cum ſcopo pſalmi, & cum his, quæ ſunt hactenus dicta de humilitate, nimirum ut dicatur Propheta optare retributionem pro eo, quod non humiliter ſenſerit de Deo, ſed excelſe & magnifice: vel, ut oret, agatq; gratias. Tranſlationi noſtræ, & communiori Enarratorum ſententiæ magis congruit, quod attulimus primo loco, de imprecatione cum comparatione: ut non humiliter ſentienti, ſed exaltanti animam ſuam, ſive ſuperbo, ea irrogetur pœna, quæ ſit ſimilis illi moleſtiæ, quam recens ablactatus puer patitur, pręſertim ante tempus. Juxta iſtam expoſitionem declarant Latini myſticè, velle perfectè humilem hac lege conſtringi, ut fiat obnoxius iſti maledictioni, ſi alta ſapere, & de aliquibus miraculis voluerit ſuperbire; nempe amittere potum materni lactis, quum panem Angelorum edere non valeat; cumq; ea, quæ ſupra ipſum ſunt, apprehendere non queat, humilitatis bono carere, interna conſolatione privari, non ſugere æternæ ſapientiæ ubera, ſed tamquam indignum abjici. Gloſſa ordinaria quinq; tempora diſtinguit, ſicut in procreatione, & alitione carnali; ita in ſpirituali, dum concipimur in utero matris Eccleſię, per inſtructionem rudimentorum fidei; dum in eodem alimur, primordiis quibuſdam proficientes; dum in lucem edimur, per Baptiſmi regenarationem; dum quaſi manibus portamur, & lactamur, per informationem bonorum, profectumq; ſimplicis doctrinæ, uſquequo jam grandiuſculi, à lacte matris accedamus ad menſam patris, ideſt, à ſimplici doctrina, ubi prædicatur exempli gratia *Verbum caro factũ g*, ad *Verbũ in principio apud Deũ h*. Hæc tempora diſtingui dicit Gloſſa ab Eccleſia: primum in quarta feria hebdomadæ quartæ in Quadrageſima, quæ & militiæ Chriſtianæ dicitur, agoniſtæ Chriſti vocantur, eiſq; confertur exorciſmus, & catechiſmus; ſecundum, uſq; ad Sabbatum ſanctum, in quo tamquam in tertio baptizantur; quartum, uſq; ad Pentecoſten, quo temporis intervallo, quaſi modo genitis infantibus, ac ſororibus parvulis ac ſine uberibus, nulla difficilia injunguntur, ut jejunia, vigiliæ, &c. quintum, in ipſa Pentecoſte, ac deinceps, quando Spiritu S. jam confirmari, quaſi ablactati incipiunt jejunare, & alia difficilia ſervare. Longe periculoſius eſt ablactari à Deo, quam à matre. Nam Pindarum *i*, & Hieronem Syracuſanum apes *k*, lupa Remum, & Romulum *l*, prætereaq; Miletum in Creta *m*, Atalantam urſa *n*, & Paridem *o*, cerva Tolephum *p*, & Abim Tar-

Margin: a Gen. 21. 8. b lib. 7. in Luc. cap. 10. c 1. Cor. 14. 20 d in Pſ. 38. Baptizati lac, & mel olim prægustabant. e Tertullian. de cor. milit. Hieron. contra Lucifer. & in Eſa. c. 63. f homil. 38. Senſus myſticus. g Joan. 1. 14 h ibid. verſ. 1 A feris aliti. i ælian. 32. var. hiſtor. K Juſtin. li. 23. Alexander ab Alexandro li. 2 cap. 31 l Livius.

m Anton. Liberalis ex Nicandro. n Ælian. 13. var. hiſt. o Alexander ab Alexandro ſupra. p ælian. 12. var. hiſt.

Ateſſiorum Regem *q*, Camillam Volſcorum Reginam armenta *r*, Cyrum Regem canis *ſ*, aves Semiramim *t*, Peliam equa *u*, Ægiſtum capra *x*, alios aliæ feræ lactaverunt, aut alio modo aluerunt. Sed væ illis, à quibus recedit Chriſtus, dicens *y*, *Ego vado, & in peccato veſtro moriemini*.

Si non humiliter ſentiebam.) Hieronymus, & Auguſt. in Speculo, *ſi non propoſui*, ideſt, expoſitore Treveto, ſi non ſtatui ante me mentem meam, ut, quod membro ſequenti habetur, ſilere facere animam meam, & cohiberem à tumore, & ſuperbia. Vel, ut aliis placet, ſi non compoſui me, animumve ad modeſtiam. Alii, *ſi non æquiparavi*, ſeu *adequavi*, hoc eſt, ſi non æquabilitate ſum uſus, ſi omnibus æquum me, ac æqualem non exhibui, ſi quempiam contemſi, ſi non ſum paſſus, legem, quam tuli, quamvis dignitate, auctoritate, potentia, ſapientia præſtarem: quod faciebat, qui dicebat *z*, *Non ſum ſicut ceteri hominum*. Hebræum verbum שויתי *ſciuvithi* ſignificat quæ dicta ſunt, nec non *adaptare*. In pſalmo 17. *a Qui perfecit pedes meos quaſi cervorum* משוה *meſciaveh*, vertit Hieronymus, *coæquans*. Paraphraſtes autem in hoc noſtro pſalmo tranſtulit, *Si non poſui manum ad os*, ne ſcilicet impatienter, ac ſuperbè regererem maledicta, vel de laudibus meis loquerer, vel cuipiam me loquendo præponerem. Hoc LXX. clarius expreſſerunt per ταπεινοφρονεῖν, quod eſt *humiliter ſentire*, ſeu *ſapere de ſe*, ac proinde *nulli ſe præferre, æquare, & accõmodare ſeipſũ aliis, proſternere* etiam *ſe, & in humilitate ſuperiores alios arbitrari* ἐν τῇ ταπεινοφροσύνῃ ὑπερέχοντας ἡγεῖσθαι *b*. Vertit Symmachus, εἰ μὴ ἠξίωσα, *ſi non dignatus ſum*. Qua phraſi vulgares etiam linguæ utuntur ad exprimendum factũ ſuperbi dedignantis alios, ſeu non dignantis ſalutare, alloqui, &c. Significat quidem שחותי *ſciachothi*, *humiliavi cum inclinatione, inflexione, incurvatione, proſtratione*, ut aliis in pſalmis vidimus *c*, eſſetq; non inelegans antitheſis ad exaltatum cor, elatos oculos, ambulationem in magnis, & in mirabilibus: ſed non audeo ſuſpicari, ut Agellius facit, eo modo legiſſe LXX. & non שויתי *ſciuvithi*, quemadmodum nunc extat. Apollinarius, hypotheſi ſublata, expoſuit per enunciationis modum.

> ἀλλ' αἰεὶ φρόνεον χθαμαλόπετα μειλιχίοισιν.
> *Sed ſemper ſapiebam humillima benignitatibus.*

Ad ſenſum reſpexit, cum alioqui εἰ μὴ, & אם לא *imlo* expreſſam hypotheſin ſive conditionẽ contineant. Cajetani expoſitio obſcura ſane, & difficilis videtur; quamvis non æquavi, & ſilere feci animam meam, conſulendo illi circa partem concupiſcentem, & delectabilia, quæ ſunt torta, conveniuntq; ætati puerili, & non eo modo me in eis geſſi, ut ſolet mater in ablactando puero ſe gerere, linendo ubera liquore amaro, ut ſic ſponte abſtineat, & à ploratu ſileat, tamen circa iraſcentem, & ardua, non me male geſſi; utpote quum ſuperbiam compeſcuerim, nec peccaverim ex ſuperbia, ſed ex humana fragilitate. Totus hic locus eſt de humilitate, ſicque paſſim declaratur etiam ab aliis, qui ſectantur tranſlationes ex Hebræo. Ceterum, per particulas *ſi non* eclypticè imprecatio exprimi ſolet, & ſupprimi per eam, *Non adſit Deus mihi, puniat me Deus*, aut quid ſimile; & interdum additur, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, ut alias monui. Sola etiam particula *ſi* ſervit juramentis, ut, *d Si dabitur generationi iſti ſignum*, ideſt, omnino non dabitur: *e introibunt in requiem meam*, hoc eſt, penitus non introibunt: *Si f David mentiar*, ideſt, plane non mentiar: *Si g introiero, ſi aſcendero, ſi dedero ſomnum*, &c. hoc eſt, nequaquam hæc faciam: *Si h non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ*, ideſt, proponam utique. At putant multi, & probabile eſt, pendere orationem uſque ad ſequentia, *Sicut ablactatus eſt*, &c. ut in iis explicetur imprecationis materia. Paulus *i* porro jubet nos non altum ſapere, ſed humilibus conſentire. Baſilius *K*, & Hieronymus *l* ſingularem ſuam modeſtiam declaraverunt, ut & alii paſſim Sancti: & de Joanne Abbate prodidit Caſſianus *m*. Scribit vero Hieronymus *n*, quamvis multorum ſibi conſcius eſſet peccatorum, nihil ità à pueritiam conatum ſe vitare, quam tumentem animum, & cervicem erectam, Dei contra ſe odium provocantem.

Sed exaltavi animam meam.) Omiſſa interpretatione, de qua prius dixi, ut exaltatio iſta in bonam partem accipiatur: in malam enim ſumi debet: ita ut negat Propheta ſe per ſuperbiam exaltaviſſe animam, & ſignificare velit,

Margin: q Alexan. ab Alex. ſup. r Virgil. 7. æneid. ſ Herod. lib. 1. Juſtin. lib. 1. t Alexand. ab Alex. ſup. u idem. x idem. y Joan. 8. 21. z Luc. 18. 11. a verſ. 34. b Philip. 2. 3. c pſ. 34. 14 pſ. 37. 7 Cajetani expoſitio difficilis. d Mar. 8. 12. e pſ. 94. 11 f pſ. 88. 36 g pſ. 131. 1. 4 h pſ. 136. i Rom. 11. 20 cap. 11. 16 K Epiſt. 77 l Epiſt. 32. 65. 108 m collat. 19 cap. 2 n Epiſt. 32

ſe humiliter ſenſiſſe, atque ut perſuadeat, imprecetur mala ſibi, niſi ita ſit. Hieronymus, quem ſequitur in Speculo Auguſtinus, vertit, *& ſilere feci animam meam*, ideſt, ut explicat Trevetus, cohibui à tumore, & ſuperbia. Qui ſenſus non diſcrepat re ipſa ab eo, quem parit noſtra tranſlatio. Alienior aliquantulum is, quem tradit Apollinarius, exponens de vocis exaltatione ad modum, quo ejulans cum vociferatione luget lactis egens parvulus circa matrem, de quo mentio fit in ſequentibus,

> ἀϋτὴν δ' ὧδ' ἀλλήρου ἀέρθη ψυχὴν οἷα γάλακτος
> νηπίαχος χατέων ὀλοφύρεται ἀμφὶ τεκούσῃ.
> *Vocem ſic exaltabam immenſam, velut lactis*
> *Parvulus egens luget circa matrem.*

Sumſit forſitan ψυχὴν pro ſpiritu & flatu, quem puer vociferando emittit. Sed repugnat hæc expoſitio ceteris, qui de ſuperbia intelligunt exaltationem animæ. Fortaſſis autem legerunt LXX. non, ut nunc extat, cum ד *daleth*, דוממתי *domamthi*, quod *ſilere facere* ſignificat, ſed cum ר *reſch*, רוממתי *romamthi*. Chaldaicè tranſlatio habet, *& tacere feci animam meam, donec audiret verbũ legis*. Bernardus *a* diſputans accurate de ſuperbia, & humilitate, inter alia ſuperbiæ cæcæ, & vanæ, ſeu contumaciæ, & vanitati, cum quis exiſtimans vel eſſe bonum, quod non eſt, vel à ſe eſſe quod eſt, in ſe, non in Domino gloriatur; aut cum tam de eo, quod eſt, quam de eo, quod non eſt, ſuis magis, quam Dei laudibus delectatur; opponit duplicem humilitatem, ut quis noverit de ſe ſentire humiliter nec conſentire aliter ſentientibus. Confirmat & priori ſententia, *Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*: & iſta, *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam*.

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua.) Hieronymus, & Auguſtin. in Speculo, *ſicut ablactatus ad matrem ſuam*. Sed apud Fabrum, *à matre ſua* quomodo etiam lego in commentario crediti Hieronymi. Apud Trevetũ, *ſuper matrem ſuam*. Apud Auguſtinum, *quemadmodum qui ablactatus eſt à lacte ſuper matrem ſuam*. Alii jungentes cũ præcedentibus etiam ex Hebræo, *ſi non æquavi, & ſilere feci animam meam, ſicut ablactatum penes matrem ſuam*. Senſus eſt, vel pendens ex antecedentibus, ut imprecetur ſibi hoc ipſum malum, quod ſentit ante tẽpus ablactatus puer à matre, plorans, & quærens ejuſdem, aut alterius opem: aut neget ſe ſuperbum, & inſolentem adverſus Deũ, ſicut eſt ablactatus à matre, petulans, ac inſolens. Vel per ſe conſiſtit, ſeorſimq; ſenſus, poſt imprecationem, ut oportet eſſe, atq; quod in ſe eſt, eſſe ſe profiteatur adeo humilem, ſubjectum, pendentem ab illo, quam eſt erga matrem adhuc recens ablactatus. Favet verſio Symmachi, εἰ μὴ ἠξίωσα καὶ ὡμοίωσα τὴν ψυχήν μου ἀπογαλακτισθέντι πρὸς μητέρα αὐτοῦ *ſi non dignatus ſum, & ſimilem reddidi animam meam ablactato erga matrem ſuam*: ubi ſuppletur negatio, *& non ſimilẽ reddidi, &c.* Tandem poteſt eſſe deſiderium, ut concedatur ei robur, ac firmitas virium animi, quemadmodum jam ablactatus pollere incipit viribus corporis, cibo veſcens ſolido. Innuit Paraphraſtes, *ſicut ablactatus ſuper mammas matris ſuæ, roboratus ſum in lege*. Cum ſequenti mẽbro cohæret magis ſenſus prior, imprecationem continens. Quamvis cum parvulo Chriſtus comparaverit cupientem ad cœleſtem patriam pervenire *b*. Deniq; *ablactatus ad matrẽ, ſuper matre*, vel *matrem*, eſt aut qui matris veluti recumbit in ſinu, genibuſve, qui ad eam reccurrit, qui etiam circa ipſã ſe gerit demiſſe, ſecuſve: *à matre*, qui eſt ab ea ablactatus. Quæ omnia juxta varios prius allatos ſenſus poſſũt intelligi. Porro de lacte materno, ſive de lactandis filiis ab ipſiſmet matribus ipſorum, egimus alibi *c*, legiq; Gulielm. Hamerus *d* poteſt, & Pererius *e* ac Delrius *f*. Mirandum in hoc genere φιλοστοργίας exemplum, ſive ζηλοτυπίας in Hiſpanicis Chronicis narratur, de Regina quadam Galliæ, quæ ex Hiſpania oriunda erat: cum aliquando abſente illa, lactatum ab alia infantem reſciviſſet, qui jam per aliquot menſes ſolius matris lac ſuxerat, numquam conquieſcere potuiſſe, donec infantẽ lac illud externum evomere coegiſſet *g*. Quamdiu lactandus ſit infans, de omni aliorum hominum, qui præceſſerunt more & qui ubivis locorum nunc ſunt quoq, ſtatui certum quid nequit. Nam Hieron. *h*, refert quoſdam Hebræorum quinquennale ſpatium ſtatuiſſe: alios ad duodecimum uſque annum extendiſſe: idem vero, ſive, ut nonnulli malunt, Pelagius auctor Commentarii in epiſtolam ad Galatas *i*, quo tempore

Margin: a Epiſt. 42. b Mat. 18. 3 Marc. 10. 15 Luc. 18. 17 c in pſ. 127. 3 & fuſius in Act. 3. 1 Φιλοστοργίας exemplum mirandum. d in Gen. ca. 21. e ibid. f ibid. g H. 5. apol. pro Herodoto. & Carolo. Matillinco Quamdiu lactandi infantes incertum. h de tradit. Hebr. in Geneſ. cap. 21. i in cap. 4.

vivebat Abrahã, quinto ætatis anno ablactatum Iſaac affirmat, & alios pariter infantes ablactari ſolitos. Triennii tempus definit Lippomanus *k*, poſt Auctorem hiſtoriæ Scholaſticæ *l*, quia mater Machabæorum uni filiorum dixit *ſe portaſſe eum in utero novẽ menſibus, & lactaſſe triennio m*. Abulenſis *n*, duos treſve aſſignat. Credi poteſt, ut communis vitæ hominum ſpatia, & intervalla, ita & ætatum ſingularum æqualia non fuiſſe, ac proinde nec lactationis; quo autem vivebat Iſaac tempore, quum protractior vita eſſet, lactationem quoq; longius prorogatam hoc eſt forſitan ad quinquennium. Conjectura peti poteſt ex colludende cum ipſo Iſmaele *o*. Modo medici bienniũ præſcribunt, ut legitimum lactationis terminum, donec duales, qui dicuntur, appareant dentes anteriores. De convivio grandi tunc ab Abraham celebrato quum ablactavit Iſaac, teſtis hiſtoria Geneſis *p*, quod etſi ad myſticum trahunt ſenſum Auguſtinus *q*, Rupertus *r*, Ambroſius *t*, Origenes *u*, Gloſſa Græca apud Lippomanum tamen litteralem cauſſam reddit Cajetanus *x* ut initium commedendi celebraretur communi lætitia, quũ ſcilicet infans per ſe comedere inciperet fari etiam clarius pedibus ſuis firmius ingredi. Initiari Latini veteres uſurpant de pueris, quum à lacte, & à cunis tranſibant, ut cibo alerentur firmiore; ſcripſitq; Varro *y*, initiatos pueros Eduliæ, Eduæ, Edũcæ Edulicæ, & Potinæ ac Cubæ quã Cula male quidam nominat, deabus edendi potandi cubandi. Lege Politianum *z*, Auguſtinum cum Vive *a*, Meurſum *b*, noſtros Pererium *c*, Delrium *d*, Pontanum *e*, Cerdam *f*, Pinedam *g*, præterea Valleſium *h*, Avicennam *i*, Galenum *k*, alioſque medicos, quos citat Valleſius. Non facit ad rem: diſtinctio triplicis ablactationis, quã affert quem citavi Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ Petrus Comeſtor *l*, poſtque illum Hugo *m*, Lyranus *n*, RicKelius *o*, à lacte mammillæ terno infantis annuo, à lacte, ideſt, à teneritudine infantiæ, ſeptimo anno, à lacte, hoc eſt, à moribus, exercitiis, ingenio pueritiæ, cura & ſollicitudine nutricis, atque pædagogi, anno duodecimo. De ſola prima hic agitur; aliæ potius metaphoricæ ſunt.

Ita retributio in anima mea.) Hieronymus, & Auguſtinus in Speculo, *ita ablactata ad me anima mea*; ſed apud Fabrum; *ita ablactetur ad me anima mea* apud Trevetũ, *ita ablactetur ſuper me anima mea*, ideſt, ut idem exponit, contriſtetur ſuper me anima mea, vivam ſemper in triſtitia ſi non conhibui ſollicite mentem meam à ſuperbia. Alii *ſicut ablactatus apud me anima mea*, ideſt, ut ſit juxta præcedentia repetitio: ſi non poſui animam, & ſilere feci, ſeu compeſcui animam meam, ſicut ablactatum nuper puerum, omnia expectantem à matre, ſi non, inquam, anima mea apud me eſt, ſicut ablactatus, ſupple diſperеam, fruſtrer ſpe mea, non ſit mihi propitius Deus, &c. Vel ſecundùm aliam tranſlationem, ita ſe habeat anima mea, ut ſe habet puer à lacte abſtractus, opeque deſtitutus: aut in bono ſenſu, viribus jam firmioribus præditus. Verum verſio noſtra, & LXX. exigit ut retributio ſimilitudinem cujuſdam compenſationis importet, ſive malæ, ſive bonæ prout quis ablactatum conſideraverit: Græcè legitur ὡς ἀνταποδώσεις ἐπὶ τὴν ψυχήν μου, *ſic retribues in animam meam*: & eodem fere modo in Romano Pſalterio, & Ambroſiano, atque apud creditum Hieronymum, Arnobium, Hilarium, qui priora ſic legit cum iſtis, *ſicut ablactato ſuper matre ſua, ſic retribues in animam meam*: Arnobius in meliorem partem accepit.

> ὥς κεν ἀμοιβαίοισιν ἐμὸν μετέλθοι ἦτορ.
> *Sic mutuis meum fruetur cor.*

Mutuis nempe cõpenſationibus, quæ reſpondeant humilitati, ac humiliationi meæ. Communior tamen ſententia eſt retributione pœnali, quam vocat Nicephorus τὴν ἀμοιβὴν ἐπάρσεως *compenſationem elationis*, & ὡς ſumit pro ὄντως, *vere*; Euthymius præterea *valde*. In cõmentariis quoque Græcis nonnullis inventum eſt nomen ἀνταπόδοσις. Hebraicè bis repetitur גמל *gamul* & in priore membro, & in iſto; ſed ablatis punctis poteſt eſſe participium גמל *gamul* quia ſic aliquando ponitur *chibbuts* pro *vau ſciurech* ו vel nomen גמול *ghemul*. Et quidem hoc nomen pro *retributione* ſæpe reperitur, ut pſalmo 27. *p*, *redde retributionem eorum ipſis*: & in 102. *q*, *noli oblivisci omnes retributiones ejus*; & alibi, ſed nũquam pro *ablactatione*, quamvis verbum, participiumq; illam ſignificent, quia in ablactatione cernitur quædam retributio, ac viciſſitudo, ut puero cibus ſolidior tradatur pro lacte. Legerũt LXX. nomen,

Margin: K in Gen. 28 l in Gen. c. 56. m 2. Mach. 7 27 n in Gen. 21 o Gen. 21. 9. Lactationis terminus legitimus nunc cenſetur biennium. p ibid. verſ. 9 q q. 50. in Ge. r 6. in Gen. cap. 9 t de Abrah. cap. 72 u Hom. 7. in Geneſ. x in Gen. ca. 21 y l. 1. de pueris educandis. z Miſcella. c. 89 a 4. de civit. ca. 11. & l. 21 cap. 14 b l. de puerperio. c in Ge. c. 21 d ibid. e in Virgil. Eccl. 4. f ibid. g 1. de Salomon. cap 5. & 17. h Sacrę philoſo. cap. 83. i fen. 3. primi. K de tuenda valetudine. l in 1. Reg. 1 c. ſub. 3 m in 1. Reg. 1 n ibid. o ibid. p verſ. 4. q verſ. 2.

men, ſed cum pulchra quadam alluſione. Præterea non legerunt עלי bhalai, *ſuper me*, ſed עלי *bhale ſuper*, quod refertum ad animam, ſicut in præcedente membro אם־עלי *bhale immo, ſuper matre ſua*: & ſenſus eſt, ita ſit, adhæreat ve retributio in anima mea, ſicut ſe habet ablactatus erga matrem ſuam: vel enunciative, ita retributio mihi à te fuit, ut ſcilicet elatum erudires, privando dulcedine conſolationis tuæ. Rectè porro Auguſt. Eccleſiam appellans matrem fidelium, ſcribit hoc loco; ſi erras in aliquo, quare non redis ad cor matris? Quia ſi non extollimini, ſi non exaltatis cor veſtrum, ſi nō ingredimini in mirabilibus ſuper vos, ſed humiliter ſentitis *ſicut qui ablactatus eſt ſuper matre ſua)* ſumit in meliorem partem *ablactatum ſuper matre ſua*) revelabit vobis Deus (nempe per matrem Eccleſiam) quod aliter ſapitis. Si autem hoc ipſum quod aliter ſapitis, defendere vultis, & pertinaciter aſſerere contra pacem Eccleſiæ fit vobis maledictū quod dixit Propheta; *ita fiat retributio in anima mea* (ſi ſcilicet non *humiliter ſentiant, & non ſint ſicut ablactati ſuper matre ſua* humiles, & obſequentes) quia adhuc *ſuper matre* quum eſtis, ideſt, parvuli portandi à matre, nec dum ablactati (*ablactatos ſuper matre* intelligit avulſos ab uberibus ante tempus, quumque adhuc adhærere & incumbere deberent *ſuper matre)* foris à lacte ſeparabimini, foris à viſceribus matris fame moriemini. Eodem vocabulo *matris* & *lactis* ad idem propoſitum utitur alibi Auguſtinus *a*. Ait inter alia, quod optime ac ſaluberrime apud matrem Eccleſiam nutrimur, quod lactis hoc alimentum accipere, quum quis à matre nutritur, utiliſſimum eſt, quum jam grandis eſt (poſſet id de jam beatis intelligi) pudendum: reſpuere quum opus eſt, miſerandū: reprehendere aliquando, aut odiſſe, ſceleris & impietatis: tractare autem, aut diſpenſare commode, laudis & charitatis pleniſſimum eſt. De præclaro, ac prædulci Eccleſiæ titulo, ut ſancta mater noſtra cognominetur, vide quæ Stapletonus *b*, ex eodem Auguſtino, aliiſque Patribus collegit. Tritum illud Cypriani *c*, (habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habeat matrē.) Communis hujus amor matris, quia prævalere debet, C hortatur Læ[t]um Auguſtinus *d*, ut eum præferat matris amori carnalis, ubi majora vocant; quia mater Eccleſia mater eſt etiam matris carnalis: noſque de Chriſto concepit, Martyrum ſanguine parturivit, in ſempiternam lucem peperit, fidei lacte nutrivit, & nutrit, cibos majores præparavit, per filios ſuos juſtum, ac debitum adverſus abortivos filios, & hoſtes poſcit auxilium. Oportet nos erga Eccleſiam ſemper lactaneorum ritu agere, & quaſi *modo genitorum infantum e*, & *malitia parvulorū f*: talibus enim revelantur myſteria *g*, & *docentur ſcientiam ablactati à lacte, avulſi ab uberibus h*, & qui non acquieſcunt *lactantibus peccatoribus i*, qui juxta parœmiam gypſum lacti miſcent, ſed ad *ubera* portari K, ſynceri lactis, potant illud ſemper. Lege Grevæum *l*, de duplici matre, & bona, & mala; & quomodo à malæ lacte ablactandi ſimus. Prior de his egit Hugo, diſtinguens etiam lac adulationis, abundantiæ temporalis, carnalis voluptatis, ſimplicis doctrinæ, divinæ conſolationis.

a de Quant. animæ c. 33. 15. contr. Fauſt. c. 3.
b 1. de princ. cap. 19.
c de unitat. Eccleſ.
d Epiſt. 38.
e 1. Petr. 2. 2
f 1. Cor. 14. 20
g Matt. 11. 25
h Eſa. 28. 9
i Prov. 1. 10.
k Eſa. 66. 12.
l Serm. 291.

Verſ. 3.) Speret Iſrael in Domino ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Senſus loci.

HUc tendebat humilitatis propriæ in toto pſalmo quędam quaſi prædicatio. Non ſe vere humilis laudare voluit, ſed alios admonere ſuo etiam exemplo, qui ſuperbiendi occaſiones plurimas habuit, ac præſumendi, quam de ſeipſis parum præſumere, de Deo autem quam multum ſperare, & confidere debeant, non hodie tantum, vel cras, vel ad aliquod tempus, verum quamdiu vivent, etſi quando differre auxilium Deus videatur, dilationem æquo animo ferant, nec dubitent de ſapientia, & bonitate ipſius, quæ ſunt æquales infinite potentiæ ejuſdem. Poſt præſentem vitam ſpei locus non eſt, ſicut nec fidei; quoniam quod vis videt, quid ſperat? ac proinde quid credit: Hilarius ſpem pro re ſperata, ſpeive ſumens objecto, ſpem noſtram ait, nullo fine temporis claudi, ſed in immenſum expectationis noſtræ finem tendi: in ſæculū ſæculi ſperandum eſſe, quia per ſpem præſentis ſæculi, (ideſt, per actum virtutis ſpei) ſpem futuri ſæculi (hoc eſt ſpei præcipuū, ac per ſe objectum, quod eſt Deus, ac beatitudo) conſequemur. Is, quem vocant Hieronymum, idem paucis verbis perſtringit. Eſt quidem humilitas om- A nium, ut ſcribit Gregorius *m*, magiſtra, materque virtutum; quod ſecundùm quamdam analogiam dumtaxat, de theologicis intelligi debet, quæ principem inter virtutes locum tenent, & fortaſſis etiam de aliquibus aliis: at quod attinet ad ſpem, non poteſt illius actum recte operari, qui humilis non eſt, de ſeipſo humiliter ſentiens, ſeque re, quam ſperat, deſtitutum, & egentem agnoſcens. De ipſa ſpe dictum ſæpe alias

m 33. moral. c. 7. vel 13.
Humilitas omnium virtutum magiſtra.

Speret Iſrael in Domino.) Hieronymus, *expectet*, Sed Auguſtin. in Speculo, ubi videtur tranſlationem Hieronymianam ex Hebræo ſequi, *expecta*, in imperativo. Tertiæ perſonæ eſt ἐλπισάτω. & יחל *iacel*, hoc imperativi modi ſecundæ perſonæ: licet Paraphraſtes expreſſerit futurum tertiæ יוריך *iorich*: quo tempore, ac modo indicativo uti ſolent pro imperativo. Perinde etiam eſt legere, *in Domino*, vel cum Auguſtino, *in Dominum*.

Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.) Hieronymus, *à modo, & uſque in æternum*. Quam tranſlationem ſequitur quoque in Speculo Auguſtinus Apud Trevetum, *à modo, & uſque in ſæculum*. Idem Auguſtinus in commentario, B ut & Hilarius, *ex hoc & uſque in ſæculum*. Potius omitti potuit *hoc*, quam *nunc*, quia Hebraicè eſt מעתה *mehatthab*. Græcè autem cum articulo, ἀπὸ τοῦ νῦν, cui articulo reſpondet *hoc*. Notat vero Auguſtinus, quod non ſemper *ſæculi* nomen hoc ſæculum ſignificat, ſed aliquando æternitatem: & *æternum*, duobus modis intelligi, atque *uſque in æternum*, aut ſemper ſine fine, aut quouſque veniamus ad æternitatem, hic intelligendum, ut quouſque veniamus ad æternitatem, ſperemus in Dominum Deum; quia quum venerimus ad æternitatem, jam ſpes non erit, ſed ipſa res erit.

PSALMUS

CENTESIMUS TRIGESIMUS PRIMUS.

Canticum graduum.

1. MEmento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.

2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.

4. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

5. Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

6. Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus D eam in campis ſilvæ.

7. Introibimus in tabernaculum ejus; adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

8. Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ.

9. Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & Sancti tui exultent.

10. Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui.

11. Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam; de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

12. Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum uſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.

13. Quoniam elegit Dominus Sion: elegit in habitationem ſibi.

14. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

15. Vi-

15. Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus ſaturabo panibus.

16. Sacerdotes ejus induam ſalutari, & ſancti ejus exultatione exultabunt:

17. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo.

18. Inimicos ejus induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Titulus & Argumentum.

Canticum graduum.

Titul. cum aliis canticis graduum communis.

OMISSO titulo, qui nihil proprium habet, vim faciendo in *Davidis* nomine, quod erat in prioris Pſalmi titulo, & ex quorumdam ſententia pertinere dicuntur Pſalmi, qui auctoris nomen non B gerunt, ad eundem præcedentem, in quo certi nominis expreſſio eſt: nos enim omnium Pſalmorum auctorem Davidem exiſtimamus: de argumento varia traduntur. Conflari commode poteſt argumentum hoc modo. David, quum intellexiſſet ædificandi templi voluntatem implere ſe non poſſe, ſed id filio Salomoni reſervatum à Deo; compoſuit hunc pſalmum, quo ſuam illam voluntatem, juramentum, votum declararet; ſimulque oreret pro felici ædificatione, ac pro miniſtris templi; præterea pro regni confirmatione. Ut autem facilius impetret, revocat veluti DEO in memoriam ampliſſimas ſibi ab ipſo factas promiſſiones. Parum autem refert, an hoc Davidis deſiderium conſideres, quando id expoſuit Prophetæ Nathan *a*, an cum ipſi templi locus monſtratus eſt eo tempore, quo peſtis omnia vaſtabat, & ſpectro perterritus eſt *b*. Eumdem pſalmum in aſcenſu ad templum recitatum poſtea à ſacerdotibus concedere nihil vetat; nec non à populo redeunt de captivitate, atque per illius recitationem excitante deſiderium ſuum, ut exemplo tali, deſtructum templum religioſe denuo conſtrueret. Hilarius, & is qui dicitur Hieronymus interpretantur de Chriſto ſub nomine Davidis; quod ei quandoque tribuitur, qui Chriſtus labores multos pertulit, ut fundaret Eccleſiam, domum Domino. Juxta tropologiam Auguſtinus, ac fere cæteri Latini, doceri nos aſſerunt, ut ipſi noſmetipſos ædificemus in templum eidem Domino, ſcientes nobis promiſſam poſſeſſionem ęterni regni atque cœleſtis templi. Agnoſcit etiam Theodoretus contineri hoc loco vaticinationem Salvatoris, qui ſecundum carnem ex Davidis genere orituros erat. Quod plures alios facere, poſtea videbimus in ipſa pſalmi enarratione; & nominatim Dionyſius Carthuſianus inde confirmat litteraliter agi de Davide in pſalmo, quod Hieronymus alicubi promiſſionem illi factā hic affirmet de Chriſto. Qua in re, ut & in aliis, affinem pſalmo octogeſimo octavo recte annotavit idem Theodoretus. Eccleſia vero quemadmodum in matutino officio Natalis Domini uſurpat 88. ſic præſentem in veſperis ejuſdem feſti, adhæc in veſperis ſecundis Confeſſoris Pontificis, quia in hoc pſalmo, ut dixi, oratio fit pro ſacerdotibus, inter quos Ponti- D fices primum locum tenent. In Paralipomenis *c* narratur, cùm Salomon ædificato ac dedicato templo inferret in id arcam, longiorem illam ſuam orationem terminaſſe iſtis verbis, quæ videntur ex præſenti *d* pſalmo deprompta. *Nunc igitur conſurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ, ſacerdotes tui Domine Deus induantur ſalutem, & ſancti tui lætentur in bonis. Domine Deus ne averteris faciem Chriſti tui. Memento miſericordiarum David ſervi tui*. Sed figmentum eſt quod R. Salomon memorat, & in pſalmi 23. argumento recitavimus, cùm portaretur à ſacerdotibus in templum illud Salomonis Regis, templi portas ſponte clauſas eſſe; nec prius apertas, quam perventum eſſe ad illa verba: *Propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui*, videlicet Salomonis in Regem uncti: prædictionem vero quod tunc eſſent aperiendæ portæ, contineri in pſalmo illo 23. Ibi hoc refellimus cum Burgenſe, atque figmenti ejuſdem, confutationem leges apud Abulenſem *e* Hieronymus in epitaphio Paulæ *f* ponit ut certum, à Davide compoſitum eſſe hunc pſalmum, ſed & ex Actibus Apoſtolorum *g* colligi videtur, ubi Stephanus alludens ad quædam verba iſtius pſalmi *h*, A ait Davidem, *qui invenit gratiam ante Deum, petiiſſe ut inveniret tabernaculum Deo Jacob*. Non obſtat, quod ſeipſum videatur laudare, ut dicemus in explanatione: præterquam quod inducitur orans populus in tertia perſona, quemadmodum in pſalmo 19. & 20. continetur oratio populi pro eodem Rege Davide. Annumerat Athanaſius *i* iſtum pſalmum iis, qui ſunt ἐν εὐχῇ, hoc eſt, qui verſantur in votis, & precibus. Caſſiodorus interpretans pſalmum de Chriſto, obſervat in numero tertio ſupra decimum, quod Chriſtus hic ponatur tamquam poſt duodenarium Apoſtolorum numerum. Appellat etiam pſalmum hunc ſenſibus profundum, & verborum ipſorum ſignificatione copioſum.

Argumentum.
Tropologia.
Tempus quo uſurpatur hic pſalmus ab Eccleſia.
a 2. Reg. 7 1. & ſeqq.
b cap. 24. 21 & ſeqq. 1. Paral. 21 20. & ſeqq.
c lib. 2. 6. 41 42
d v. 1. 8. 9. 10
e 2. Paral. 6 q. 2
f epiſt. 27
g cap. 7. 46
h verſ.
i ad Marcel.

Verſ. 1.) Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.

Senſus loci.

INducitur, ut prius dixi, populus orans, aut etiam Salomon Davidis filius, per merita ejuſdem Davidis, pręB ſertim vero circa magnum ſtudium, & varios actus manſuetudinis, propter quos merito David appellari potuit *vir ſecundum cor Dei k*, ut & Moyſes *mitiſſimus ſuper omnes homines l*, peculiaris amicus Dei: & Chriſtus *dilectus Patris filius in quo ſibi complacebat m*: diſcendam à ſe, ac imitandam in ſe propoſuit mititatem & humilitatem cordis *n*: & ſub mortem exemplum dedit harum maxime virtutum, dum lavit pedes diſcipulorum *o*, ac ipſiuſmet Judæ proditoris; quem & non bucella tantum intincta *p*, verum etiam Euchariſtia paviſſe creditur: & oſculantem admiſit, *amicique* vocabulo ſalutavit *q*: Davidis manſuetudinem Saul diriſſimus, ingratiſſimuſque perſecutor ejus aliquoties expertus *r* eſt; Abſalon quoque perduellis filius *ſ*; Semei ſervus contumelioſus *t*; & alii quibus capitales injurias, quas poterat ulciſci, condonavit. Nec abhorret tamen ab hac virtute. Vindex proximorum, & potiſſimum DEI injuriarum, juſtitia. Accipiens armaturam hic zelus, *u*, non parcit vitæ impiorum, atque injuſtorum; ut cernere fuit in Moyſe, & Davide, qui tot bella geſſerunt, tamque multos occiderunt: in Chri- C ſto etiam ipſo, cum ejecit bis vendentes & ementes de templo *x*. Idem Deus, qui ſe *Zelotem* cognominat *y*; *ſuavis & mitis eſt, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus z eum*. Quamquam non improbabile eſt, præſertim habendo rationem tranſlationis ex Hebræo, de qua poſtea, quæ habet *afflictionem*, intelligi hoc loco eam manſuetudinem, quam pius in Deum animus gerit, & David geſſit, deliberans conſtruere templum Domino, cùm indigne ferret, animoque diſcruciaretur, quod *arca Dei eſſet poſita in medio pellium*; ipſe autem *habitaret in Domo cedrina a*. Sic in Paralipomenis citato antea loco, cùm dicitur; *memento miſericordiarum David ſervi tui*, nomen חסד *cheſed* quod ibi eſt, dictam *pietatem & religionem*, videtur ſignificare; quemadmodum & חסיד *chaſid pium*. *religioſum, DEO dicatum, ſanctum*. Eodem quoque ſenſu accipi poſſet Jacobi *b* monitum, de *ſuſcipiendo inſito verbo in manſuetudine*: & alii ſententia Davidis *c*, quod *doceat Deus mites vias ſuas*. Hilarius allatis ex Jeremia *d*, & Eſaia *e* teſtimoniis Ezechielem (addere potuit) quibus nomen *Davidis* de Chriſto dicitur, contendit, non ali- D ter, quam de illo intelligi præſentem locum poſſe: petere autem à Patre, ut meminerit manſuetudinis, qua & Matthæus *g* ſcripſit, & Eſaias *h* prædixit, non contendit, nec audita vox ejus eſt in plateis; & per quam Deo Patri officium humilitatis ſuæ vovit. Idem ſentit creditus Hieronymus: nec non favet verus alibi Hieronymus *i*, Auguſtinus, Proſper: ac poſteriores Latini; æqualis præterea Auguſtino Arnobius interpretantur juxta etymon *Davidis*, quod eſt *manu fortis*, ut quivis pertinens ad corpus Chriſti, poſtulet à DEO Patre, ut revocet in memoriam ipſius Chriſti merita, & quemadmodum manſuetudine, ac patientia vincit diabolum, eadem ratione concedat, ut eumdem, & alios inimicos noſtros liceat debellare. Annuit ex Græcis Cyrillus Alexandrinus *k*, docens ut exemplo Davidis, qui hoc loco myſterium Chriſti ſcrutatus eſt, intelligamus magna bona & eximia, non percipi ab his, qui jacent, & deliciantur, ſed ab his, qui ſudores & labores in hac re collocatos contemnunt. Pilo Carpathius *l* hortatur ſtimulatum iræ cupiditate, vel vindictæ, vel ulciſcendi inimici, ut cogitationem ad hanc Davidis manſuetudinem avocemus, tamquam ad mitiſſimum clementiæ montem, & aromatum bene fragrantem

k Actuum 13. 22
l Num. 12. 3
m Matt. 3 17. cap. 17. 5
n cap. 11. 29
o Joan. 13. 5
p Joan. 13 27
q Matt. 26 50
r 1. Reg. 24 toto cap. 26 toto
ſ 2. Reg. 16 & 17. & 18
t cap. 17. 5 & ſeqq.
u Sap. 5. 18
x Joan. 2. 14 Matt. 21. 20
y Exod. 20. 5 Deut. 34. 14
z pſ. 85. 5
a 2. Reg. 7. 2
b cap. 1. 21
c pſ. 24. 9
d cap. 13. 5 cap. 30. 9
e cap. 16. 5 cap. 55. 3
f cap. 14. 23 34. cap. 37 24. 25
g cap. 12. 19
h cap. 42. 2
i epiſt. 3
Davidis etymon.
k in Eſa. l. 3. cap. 30
l in cant. ſub. ſtaem.